[illegible]CEDIA

[illegible]IÆ OXONIENSIS,

in Obitum Celsissimi Principis

HENRICI

DUCIS GLOCESTRENSIS.

OXONIÆ,

Typis [illegible]

DUCIS GLOGESLUENSIS

HENRICI

IN OPERA COLLATIONI PRINCIPIS

VNIVERSITATIS OXONIENSIS

EPIGEDIV

In præmaturum Obitum Illustrissimi Principis

HENRICI

Ducis Gloceſtrenſis.

QUAM ſubito triſti mixta eſt mœrore voluptas!
Et facies rerum ſolvitur in lachrymas!
Quanta columna cadit regni! Spes quanta ſalutis!
In lachrymis neſcit Muſa tenere modum.
En ſimilis Divis omni virtute repletus,
Jam ſatur in terris, tollit ad aſtra caput.
Nec mirum, multis non ſufficit una corona,
Majorem in cœlis aulea Corona facit.
HENRICO *teneros ultra quod vixerat annos,*
Ante diem in Cœlis fata dedere locum.
Mutatur ſeries Natalis, Maximus Ille
In Cœlis natu, qui fuit ante Minor.
Det Deus, ut fauſtos quos non complexerat annos
HENRICUS, *numeret* CAROLUS, *atq; ſuos.*

PAULUS HOOD
Coll. *Lincoln.* Rector.
Acad. Procan:

Epicedia Acad. Oxon.

IN gemitum claros mutarunt fata triumphos,
Jamque suas luctus cœpit obire vices.
Plangite Sacra cohors Musarum, plangite Divæ,
Et suspiret Eheu qui resonabat Io.
Ingenium, pietas, candor, prudentia, virtus,
Gratia funeribus succubuere Ducis.
Heliades stillent lachrymas super ora fluentes,
Et legat exanimem succina gemma Cutim.
Vt Mausolæum surgat de mole superbum,
Quis non in lapidem cum Niobe rigeat?
In lapides migrate & Marmora dura Britanni,
Vt possit tumulo Nobiliore frui.

Εν πολέμῳ κρατερὸς βουλῇ τε ἀγάκλυτος Ἥρως,
Εξοχος εὐγενίῃ ἔξοχος εὐφυΐῃ·
Κἂν βιοτοῖο φάος λεῖπεν φάος ἠελίοιο,
Καὶ αὐτὸν θανάτου ἀμφ' ἐκάλυψε νέφος.
Κλαίοντες δακρύοισιν ὑπὸ βλεφάροισι παρείας
Δεύσατ', ἐπεὶ θνήσκων ὤλετο χάρμα βρότων.

חיום בכי ועת אבל
לכול אנשי בישראל
כי יהוה אלוהנו
בצר רוח נגודנו

Joh. Wall, S. T D. & *Ecclesiæ Christi* Præben.

In obit. Ducis Gloceſt.

OPtime, Maxime; quem niſi te, Divûm atq; hominũ
Alloquar? A te percuſſi convertimur ad te. (Rex,
Juxta orbem Solis micat, atque extinguitur Aſtrum;
Æquiparandum auro, Divina potentia plaſma
Cùm tangit, frangit; Sumus omnes pulvis & umbra.
Summe opifex rerum, nos evehis in paradiſum,
Dejicis evectos; miſcentur gaudia luctu.
Primùm Jacobo *Henricum* primogenitum aufers,
Nunc *Henricum* etiam *Carolo* ex *Carolo*, atque paterni
In fratres animi; illum *Henricum*, qui morituri
In gremio Regis promiſit ſe lacerandum
Ante imponendam ſibi vivo fratre coronam
Parvulus. O dignum qui viveret atque doceret
Sorte ſuâ minimè contentos. O bone Jeſu
Rupiſti intortum triplicatâ carnabe funem.
Relliquias *Caroli* (quibus haud digniſſima gens eſt)
Serva, da nobis iram ferre Omnipotentis,
Rebus in anguſtis ſperare, timere ſecundis.

Hannibal Potter, SS. Th. D.
Præſ. Coll. *Trin.*

In obit. Ducis Gloceſt.

Lex tribus eſt fulcris, juris dixere periti,
Fratribus & firma eſt ſacra Corona tribus:
Henrici at morbo ſtupefacta Britannia tota
Ne trina Arx olim ſit ruitura timet.
Vidimus hunc reducem populo applaudente, videmus
Nunc exhalantem, proh! juvenilem animam.
Dixit, & hinc Areten, Charitesque in vota vocabat,
Vos comitem, ſed nos perdidimus columen:
Pro comite, en, virtus tanto perculſa periclo
Ante aras ſtabat dilaniata genas.
Nec precibus valuere Deæ, nam fata reclamant,
Spes ſola eſt Fratres perpetuo eſſe duos.
Nec Venus eripuit puerum, nec Memnona Mater,
Pelidem Thetis aut omnibus emit aquis.
At nil flere vetat, cum ſit Diis proximus Heros,
Regalemque Ducem magnanimumque Deas.

Herbertus Pelham, Doctor
Legum, Socius Collegii
Magdalenenſis.

EHeu! Sereni Germinis ut dies
In lubrico sunt? Nec pietas moram,
Nec stemma vel Regale fatis
Afferet, indomitæq; morti.
Quantus Britannis tristibus aruit
In flore Princeps? Cui teneris fides
Probata in annis, vita sancta,
Vis animi ignea, mens senilis?
Quando ullum, in ævis, invenient parem?
Fælicitatum quàm fragilis status?
Quàm nuperos pullata mutat
Anglia funeribus triumphos?
Toti Ille genti flebilis occidit
HENRICUS orbis deliciæ & stupor:
Nullis pari desideratus
Ac tibi, *Carole Rex*, amore.
Non hinc (inani sollicitus prece)
Fratrem reposcis, non ita creditum:
Celsique, non ex-spes, liquenti
Numinis arbitrio acquiescis.
Jacobum habebis præsidium ad latus,
Fidelem Achatem; nullus ut hiscere

Audebit

Audebit, aut quaſſare Sacrum
Procenùs imperium tumultus.
Nos vota fixo pro melioribus
Ardore fatis fundimus inſuper:
Veſtrumque fulciri columnis
Nobilibus Solium precamur.

Thom. Walker, S. T. D. Collegii
Univerſitatis Mr.

ANglia poſt tenebras felicia ſydera vidit,
Non gaudet regio talibus una tribus.
Ingratæ (vereor) genti Deus abſtulit unum,
Anglia damna ſatis non reputanda gemas.
Sydus dignum aliâ ſphærâ & meliore potitur;
Stellarum, lucis perfruiturque Patre.
Non eget *Henricus* lachrymis, eget Anglia tanti
Luminis orba: tuas Anglia plange vices.
Murmura nunc tandem cœlum irritantia ceſſent,
Suſpicio excedat, lis & amara foràs.
Gratè quæ remanent, Sydus Majuſque, Minuſque
Excipe; te, ſi vis, lumina tanta beent.
Et venerare Deum, quo fixa hæc ſydera fiant;
Sitq; ea terra decus, quæ pudor orbis erat.

R. Newlin. S. T. D. *Præs.* C. C. C.

In obit. Ducis Gloceſt.

FLete viri, lugete Senes, plorate Puellæ,
Occubuit Princeps primæ ſub flore juventæ,
Delicium humani generis, Gentiſque togatæ
Et Decus & Columen: *Quis talia funera fando*
Temperet à lacrymis! Quis non ſingultibus Orbem
Impleat, altiſonos gemitus ad ſidera tollens?
Has habuere vices mortalis ſtamina vitæ,
Proſpera ut adverſis, pariterque adverſa ſecundis
Succedant; Eheu! quid non ſub ſole cadendum?
Interea vivit *Carolus* Rex optimus: Alter
Vivit dilectus Frater: Sit Gratia Chriſto:
Non opis eſt Noſtræ grates perſolvere dignas.
Deficiant nunquam Carolinæ ſtemmata vitis
Donec Sceptra tibi tradantur ſingula Chriſte.

Sic deflet Obitum Principis
Illuſtriſſimi

Henr. Wilkinſon, S. Th. D. Aulæ
Magd. Princip.

Occidit Anglorum decus ingens, astra reposcunt
Munus; cum tantum terra tenere nequit.
Te pietas cœlis aptum, ut prudentia terris,
Reddidit; hæccè viris munus, at illa Deo.
Deliciæ humani generis, spes magna tuorum,
Non solus moreris; nos tua fata premunt.
Te sequimur lachrymis, si quid suspiria monstrant,
Anglia dum plangit, se periisse docet.

Nicholaus Stoughton Armig. Juris utriusque Doctor.

Quæ nova crescentes turbat Libitina Triumphos?
Gaudia quis morbus sævior Hostis rapit?
Dum festis lucent rediviva Altaria flammis,
Versa est in cineres læta favilla suos.
Nec benè siccatis miserandæ Gentis Ocellis,
Infelix lachrymis obruit unda genas.
Insidias diri, Princeps Auguste, Tyranni
Fugisti, & variis Retia texta dolis:
Inter & infidos vixisti tutus Amicos,
Et Belli rabies parsit, & unda Tibi;

At

At natale solum, pelago crudelius omni,
Dum spondet reditum parturit ecce nebem:
Et Juveni, Lachesis quod non peregrina, Sepulchrum,
Tristior exilio Parca Britanna dedit.
Sic medio properans nitidus Sol occidit ortu,
Et Jubar æquoreis tingere pergit Aquis.
Lilia sic primo marcescunt flore; Brevesque
Ostentat veneres sic Rosa verna suas.
Icta silex Chalybi celerem sic exprimit ignem,
Dumque micat subito verbere, flamma perit.
Nominis hoc fatum est? *Henricus* Patruus antè
Sic gemuit properâ stamina rupta manu.
O pestis, quâ nec sceleratior illa securis,
Sanguine quæ tubuit, *Carole Sancte*, tuo!
Quis Te lethiferam Stygio transmisit ab Orco?
Hanc, *Cromwelle*, tuam suspicor esse luem.
In Regem post fata furis, Regique propinquos;
Et cinis in patriam sævit, & umbra tuam.
Infandis jugulas, quos non jugulaverat Ensis,
Manibus; & Tumulo Bella secunda geris.
O quę majestas periit! quis fulgor in ore!
Quæ facies atris commaculata notis!
Dux formose, Tuis esses sine funere raptus,
Ni reddat vultum vita reversa tuum.
Quisquis es, O fallax, meritoque invise Machaon,
Qui sua mendaci Pharmata voce crepas;

Quem falsis nunquam signis urina fefellit,
Nec pulsu elusit perfida vena suo.
Quid Tibi pro meritis, & talibus imprecer Ausis,
Ars cui mortifera est, & Medicina necat?
Sic, Scelerate, soles Animas revocare fugaces?
Sic raptas fatis protrahis Arte colos?
A Te sublatus, non simplex occidit Heros,
Linguarum numero, Perfide, multus erat.
Anglia quem genuit, nutrivit Gallia, Belgam
Belgia, & agnovit Flandria læta suum.
Indigenam Tuscus, Gentilem vidit Iberus;
Hic natus Princeps, civis ubique fuit.
Ore sibi patrium numeroso fecerat Orbem,
Atque exul nullis Gentibus exul erat.
Æquarunt Animi dotes Miracula Linguæ;
Imberbis facie, mente senilis erat.
Ante pilos sapuit, fueratque huic cana Juventus;
Consiliis Frater sensit, & Aula virum.
Miles virgineum vultu referebat Achillem,
Fulsit & immissus Marte Cupido genis.
Hinc tot victrices cinxerunt Tempora laurus,
Hinc victis placidum sic potuisse mori.
Hinc decepta tuis, Princeps fortissime, palmis,
Mors perimens Juvenem credidit esse senem.

Jasper Mayne, S. T. D. Ex
Æde *Christi*.

SIccine Lætitiæ voluit Primordia noſtræ
Præcerpſiſſe Deus? ſic publica Gaudia luctus
Excipit? Et plenos intercipit urna triumphos?
Sic matutinos ſoles, & Luminis ortum
Nox præcox tegit, & duri inclementia Cœli?
Nec potuere malis, Gens O non digna ſalute,
ſuffeciſſe tuis Regum procerumque ruinæ?
Bellaque per patrios plus quàm Civilia Campos?
Majeſtatis Honos, & magni jura ſenatus
Milite rapta ſuo, ſervorum evulſa furore?
Sumptibus heu propriis noſtros emere uſque dolores.
Mos erat, & pretio numerato vendere pacem.
Nec Sacris immota ſalus, Templa ipſa Rapacis
Præda manus, Cœlumque gigantea turba laceſſit.
Doctrinæ Collapſus Honos, graſſantur ubique
Errorumque lues, vanæque Audacia fraudis.
Invadunt ſacras imâ de plebe Cathedras,
Sanctaque inaſſuetis lugent Oracula labris.
Conculcata tremunt Academia, Templa, Sacerdos;
Larvatæ incedunt peſtes, ſparguntque venena,
Et ſeſe occultant ſub ovili vellere Tigres.
Nec tamen in luctus tam denſa caterva dolorum
Sufficit, O ſuperûm Gens indigniſſima donis?
Nec potuere Domus Regalis tanta malorum

Millia,

Millia, direptæque ædes, viduata Corona,
Et solium eversum, fasces, diademata, Sceptra
Furtivâ temerata manu, præreptaque jura,
Nec Sacri Capitis fusus de pegmate sanguis,
Nec pulsi in terras Reges, Regnisque fugati,
Vexatumque decus, laceratæque nomina Chartis
Et scombros & thus metuentibus, aspera tanti
Prævertisse mali, tam sævæ vulnera mortis?
Nec potuere Animi dotes, nec mollior ætas,
Virtuumque cohors, impletaque pectora cœlo,
Eloquii torrens, Doctæ facundia Linguæ,
Mens studiis incocta bonis, Sanctique recessus
Pectoris, Ingeniumque ad publica commoda natum,
Tam duram fati properantis vertere plagam?
Sic Domino visum est, sic nobis comprimit ora,
Præfractique domat lites & murmura cordis.
Sic jubet internos Animi vitæque recessus
Explorare omnes, lachrymisque & pulvere, Lethi
Tam præmaturi lugere & quærere causas.
Sic scelus omne vetat, quod tot Regnisque procellas
Infert, & gratæ corrumpit fœdera pacis.
Sic juvenum validas vires, Aulæque fugaces
Dedecorat pompas, & funere mergit acerbo.
Sic Sanctas animas Dominus, sic spemque fidemque
In se collectas, mansuraque gaudia figit.
Sic rebus duris lætas, sic gaudia luctu

Temperat,

In obit. Ducis Glocest.

Temperat, & mixtâ juvat indulgentia virgâ:
Novit quid valeant humeri, quid ferre recusent
Sancti Patris amor, nostris & viribus aptat
Lætitiæ luctusque modos, ne mole Bonorum
Succumbant molles animi, fractique laborent.
Ergo age, perge tuo cœlo, lachrymisque tuorum
Princeps magne frui, & celso de culmine pacis,
Humanas nugas, perituraque gaudia temne.
Interea nostro nos indulgere dolori
Usque ac usque juvat, cœlum quoque tundere votis,
Ut tibi prærepti cumulentur Fractibus Anni,
Tuque tibi in cœlo vivas, vivas & in ipsis
Nobiscum, Magni *Caroli* sit vita salusque
Tam præmaturi merces medicinaque fati.

Ed. Reynolds, S. T. D. Coll.
Merton, Cust.

O Iniquissimos lethi Ministros!
Ecce ut in Venustissimo Principe
Fœditatem & sordes producunt Variolæ;
Ut formam dilacerant quasi larvam extruerent,
In quo nihil unquã indecorũ enituit, præter infortuniũ:
Ita vultu Amabili & infensâ sorte,
Quod lugeas simul habes, & Depereas.

O Dissi-

O dissimillimos ægro Languores!
Ecce ut in Humillimo Principe
Superbire gestit, & inflari febris;
Ut pustulas excitat, quasi Cristas erigeret,
In quo nihil unquã Elatũ emicuit, præter cuticulam:
Ita corpore Turgido, et Mente Demissâ,
Non Fastu intumuit, sed morbo tantúm.

Tenellus olim apud exteros exul relegatus;
Virtutem ibidem exulantem fecit Reducem.
Inter Gallos castus, inter Belgas fidelis:
Brevi tamen ab utrisque exterminatus.
Æquo nempe animo Peregrinos excipiunt, Probitatem (invito.
Cave viator moribus præcellas:
Sic exemplo simul fis aliis, & oprobrio.

Decennio elapso lævum affulsit sydus,
Solumque Natale ut revisat, annuit:
Redit, oblectamentum populo & spectaculum.
Intra quatuor plus minus menses conficitur lue:
Longissimum exilium absorpsit gaudium breve.
Felicitatem suam scilicet sapientes viri
Non Annis metiuntur, sed solatiis.

Martinus Lluelyn. M. D.
Med. Reg. Jurat.
Aulæ B. Mariæ, *Oxon.* Princip.
Coll. *Lond.* Socius.

علمنا بما اصابك يا امير
جميع الزيادة لنقص يصير
راينا هلالك كبدر مكملا
ولاقاه ما به تصاب البدور
ضياك بظل الارض منا تحجب
وهل للكواكب محل قبور
لضاقت لمجدك الافاق بوسعها
صعدت الي السماء فيه تدور
بلغت من العلا بحدث شبابك
لما مبلغ الكبار عنه قصير
اطلت حياة مع قل الايام
ايام لمثلك فهي دهور ❖

DIscimus exemplo vestri, Dux Inclyte, fati,
Ad summum quicquid venerit ire retro.
Luna tibi crescens superat dum lumine plenas,
Passa cito est, plenæ quod potuere pati.
Involvit clarum jubar atris terra tenebris,
Siccine & in tumulis Astra sepulta jacent?

Quin terræ clauſtris major, cœli alta petiſti,
Quò ſphæra poſſes liberiore vehi.
Sic ætate minor, magnus virtutibus, illò
Veniſti, rari quo potuere Senes.
Non vixiſſe diu, multum hinc vixiſſe probaris,
Veſtra dies ævi quælibet inſtar habet.

Edv. Pocock, S. T. D. Ling.
Heb. & Arab. Profeſſor.

Cum ſubit Illius triſtiſſima Noctis Imago,
Qua cecidit Regni gloria, dulce decus;
Ipſa ſuis inviſa malis, ingrata ſenectus
Ante oneroſa, premit me graviore pede.
Heuriei nondum viceſimus exiit annus,
Et Juveni tinxit vividus ora rubor;
Cum ſubito eluxit poſt *Fratres* gloria belli
Prævalidus nervis, conſilioque potens.
Dum reputo magna Auſa *Ducis*, ſuſpiria *Regis*,
Officium docuit flere, ſilere dolor.

Richardus Gardiner, S. T. D.
Eccl. Ch. Canon.

ET fugis, & fixum dux invictissime forti
Insedit menti, vertere terga Tuis?
Hostiles sensit cum mœsta Brabantia flammas,
Volverat & tumidas sanguine Schaldis aquas;
Dunkercæ victor quateret Thurennius arces,
Gallorumque tulit Flandria pressa jugum:
Non eadem placuere tibi; quin prælia poscis
Impiger, & virtus conscia in arma vocat.
Sævi in discrimen belli te fratribus addis,
Sic etiam his jungi sanguine posse cupis.
Restituis Belgis animos, & gentis Iberæ,
Converso Martis cardine, Stator ades.
Inclinatam aciem instauras, medioque per hostes
Bacchata ardenti fulminat ense manus.
Sic tibi præcipiti consurgit vertice Palma,
Sic præmatura tempora fronde tegit.

Et fugis, & magnæ facta est tibi nausea Famæ;
Teque juvat laudis pœnituisse Tuæ?
Increpitant longè comites, quos æmula virtus,
Et bene desperans conciliavit Amor.
Inclamat Princeps; frater tibi *Carolus* instat,
Aversum amplexu detinet usque suo.

Hic revocat; cessere olim cui dulcia Matris
Imperia, & misti cum pietate doli.
Cui properans; longè cognatis pulsus ab oris,
Errabas ipsis Exul ab exilijs.
Sed frustra liquidas verba effundunt in Auras;
Et datur insidijs vana querela Notis.
Quando alio invitus Rex iter, *Carolus* alter;
Ac majore animum religione premit.
Advocat Elysium genitor, sacrosque penates,
Ad puros soles perpetuumque Diem.

O nimium dilecte Deo, nimiumque Parenti
Consimilis, Gentis gloria mœsta tuæ!
Sufficiat nobis, properati injuria fati:
Sit tibi germanum deseruisse satis.
Qui modo Phœbæa cingebas tempora lauro,
Exhinc Phœbæo lumine cinge Caput.
Lactea felici calcetur semita planta,
Et qua transieris, sit nova stella Polo.
Quin fruere, & totum delibes pectore cœlum,
Hauriat æternum mens satiata Deum.

Sed minus hac una saltem sis parte beatus,
Ut fratre in longum deficiare Tuo.

Johan. Fell, S. T. D. Eccles. Christi
Sub-decanus.

In obit. Ducis Glocest.

SIc profugus iterum? quod novum exilii genus?
Longinqua quæ nunc Regna? quas ſedes petis?
Quin ille nigrâ Ditis emiſſus ſpecu
Cromwellus, Orci famulus, & necis artifex,
Commune cœli, & gentis opprobrium ſuæ;
Caroli ſceleſtas cæde maculatus manus,
Tantum refugit facinus, & meruit Nefas:
Pudor Tyrannum ceperat, nec ſe tulit
Adeò nocentem: Parcit, & Puerum jubet
Externa Regna viſere, & vita frui.
O dura fata, & ſortis infandas vices!
Erepte toties morte ſic juſſus mori!
Heu quàm Britannæ flebilis genti cadis!
Immenſus ipſis creſcit è lachrymis dolor,
Et media clades unda, majores refert.

Rich. Alleſtree, S. T. D. Æd.
Chriſti Præbend.

QUæ luctuoſæ fata Britanniæ,
Mœſtos Camœnas ad numeros vocant?
Suadentque lugubres querelas
Funereo ingeminare Leſſu?

Agnoſco

Agnoſco clades. Occidis, Occidis,
Ingens ruentis Gloria Patriæ!
Unoque, ſpes omnes, & omnes
Delicias, tumulo recondis.
Non (ſortis altæ fœda pediſſequa)
Te Luxus atro mollierat ſitu,
Durique inexpertum laboris
Fregerat indecori veterno.
Te ſtirpe magna quam leve Principum
Diviſque naſci? dum tibi gloriam
Debere feſtinas, tuiſque
Stemmata nobilitare geſtis.
Seu Marte, victor Temporibus paras
Fuſo madentem ſanguine Lauream,
Fractoque formidatus hoſti
Per medias raperis Catervas:
Seu pacis almæ ſedulus artibus,
Et molliori Militiæ ſtudes;
Seu pulvere inſudare docto,
Caſtalidumque juvat palæſtra.
Te ſemper ardor vividus ingeni,
Et major ævo evexerat indoles,
Movitque grandævæ, juventus
Altior, invidiam Senectæ.
Proh Lux & ætas immodicis brevis!
Damnoſa virtus heu nimium tibi!

Fatale

In obit. Ducis Gloceſt.

Fatale victori Trophæum,
Dum numerat Libitina Palmas.

J. Dolben, S. T. D. Eccleſ. Chriſti. Prabend.

HActenus, ô ſocii, plauſus & gaudia toto
Ferre ſinu licuit, paſſisque admittere velis;
Hactenus haud ullâ maculatum nube ſerenum
Vidimus, atq; hilares cœlo decurrere ſoles:
Vtque ſalutiferam toties qui ſumpſerat offam
Nulla venena illi, neque pocula dira nocebant;
Nos ita nec luctus, nec ſors mœſtiſſima tangit.
Attamen hæc inter, quanquam furialis Erinnys
Ceſſerit, ac noſtro Mavors procul exulat orbe,
Et repetit Gotthos, & Biſtonas horridus armis;
Quanquam jam longùm ignotas inviſerit oras
Libertas, & Virgo redit, Carolinaque regna;
Dum nec adhuc lachrymas natorum in funera Mater
Ferre ſcit, & nemo triſtis, niſi proditor, audit;
Huic vni ſaltem juvat indulgere Dolori.
Quidni etenim? cum jam ſpes Terræ, curaque Cœli
Ipſe ſuis cœpit Carolus diffidere divis:
Quem quia fata jubent Regnum pro Fratre paciſci,
Et ſimul adhuc ſceptra vocant, Dextramque recidunt,
Ditior Exilio fuerat, cùm fidus Achates

Aſca-

Ascaniusque idem coràm stetit; Ille per omnes
Ire comes quondam terraq; marique labores;
Illius haud unum dederat præsentia regnum:
Quam cùm Parca negat Carolo, non amplius ipsum
Centum Oratores, centum solantur amici:
Jam nec ab occiduis prænobilis Hospes Iberis
Gratus adest mœsto; neque gratior advena Ponti
Leniit infandos formâ omnipotente dolores,
Diva Soror, postquam occubuit Charissimus Heros,
Et tantos unâ temeravit morte triumphos.
Senserat Oceanus damnum, fluctusque sonoros
Plangebat Domino; tremuitq; Britannicus orbis,
Quanquam Cæsar adest; veluti cum maximus Atlas
Subduxit fessum cœlo caput, horruit ingens
Machina, & attonitis pavitabat Signifer astris.
Eheu! quàm vario volvit mortalia casu
Instabilis Fortuna, & cæco in turbine versat!
Hiccine qui fatis longùm jactatus iniquis,
Ærumnarum undas toties, totiesq; fefellit
Latrantes scopulos, contritoremq; Caphareum
Præterit, ut Patriis tandem sit naufragus arvis,
Et cadat ignavæ jam præda ingloria Febri?
At non talis erat, lætâ cùm nuper in Aulâ
Grandior incessit, Nymphasq; obliqua tuentes
Vrebat vultu; vel, equo sublimis & armis,
Ibat ovans per ligna; Favor comitatur euntem,

Gloriaq;

Gloriaque illuſtrem fulgenti circuit Aurâ:
Atque aliquis juxtà, victori Regna futuro
Deſtinat, inque animo diſponit mille triumphos;
Atque aliqua, Hæc, inquit, præſtantis gratia formæ
Idaliam poſſet cœlo deducere Divam.
Ille indignantem, et conantem plurima, frangit
Cornipedem; ſive is greſſus glomerare ſuperbos
Aggrediţur, pedibúsve altas conſurgat in auras
Arduus, aut ſtratâ gravior ſubſultet arenâ:
Fervet opus, patuliſq; efflantur naribus ignes.
Nam neque degeneres curas, artéſve pudendas
Excoluit, duxúſve dies, aut Alea noctes
Perdidit ambiguo ſuſpendens vota fritillo:
Sed nunc Jura patrum, aut magni Conſulta Senatûs
Excutit, &, dextro pollens moderamine linguæ,
Juſtitiæ griphos, rerumque ænigmata pandit.
Nunc & militiæ leges, momentaq; belli
Cogitat, & doctis deſignat prælia chartis,
Grande rudimentum, atque hoſti fatale futuro;
Quonam acies formanda modo, cùm cornua Ductor
Explicat, aut ſtringit rurſum; quâ callidus arte
Opprimat incautum campis, aut ſaltibus, hoſtem:
Quæ ſtatuat Vallo ſpatia, & quali Aggere muros
Oppugnet, quanquam ipſa intus feralis Enyo
Tercentum tonat ære globos, tot fulgurat Ætnis.
Quippe ſuas Illum docuerunt Teutones artes;

Credidit indigenam Hiſpanus; quin ipſa fuiſſet
Gallia faſſa ſuum, niſi quod minus hoſpita, civem;
Surreptamque ſibi miratur Etruria linguam.
Ille & Naturæ vultus, arcanaque rerum
Semina, & immenſi volvit primordia Mundi:
Noverat unde micant Stellæ, quo tramite Titan
Palleat, & triſti ſqualent ferrugine Lunæ;
Cur trepidans magnes dilectam vergit in Arcton;
Quid faciat ventos, fulmenq; imbreſque ſonoros
Deſuper intorquet tertis; quâ lege movetur,
Et redit æternùm ſua per veſtigia Tethys.
Magna quidem canimus, ſi non majora vocarent,
Et Pietatis honor, Verique innata cupido,
Et Probitas, vitæque tenor ſincerus, & olim
Inconcuſſa Fides Fratri ſervata, Deoque;
Quam, neque ſperatum Diadema, arteſve doloſæ,
Ipſa nec inflexit Pietas. Hæc ſanctus ab alto
Vidit, & exultans Genitor plaudebat Olympo:
Talia namque olim monuit, cum ſtaret ad Aras
Auƈturus divos, & jam ſuprema puello
Oſcula libabat totum ſpirantia cœlum:
Chare puer, dixit, quanquam Fortuna parentis
Non imitanda tibi, Pietas tamen uſque ſequenda eſt,
Et Recti cuſtos animus, virtuſque, laborque;
Et, quæ ſit potior Sceptris, Reverentia ſceptri.
Hæc tu, magne Heros, imis manſura medullis

Im-

Imbibis, & ſacro pendes dictantis ab ore:
Talibus auſpiciis jam tum cœleſtis alumnus
Creſcis, & indigeris ſequeris veſtigia Patris;
Sed *Carolo* monſtrante viam, qui fortibus altum
Perficit exemplis animum; tantuſque videris
Exuperaſſe Hominem, & mortalem temnere ſortem.
Tu tamen, ah! moreris; nec Te tua prodiga virtus,
Aut niveus decor, &, prolem reſtata Deorum,
Majeſtas, Orco eripuit; dum ſordida Terræ
Progenies pejore luto ſecura perennant
Secula, &, experti nimiæ faſtidia vitæ,
Vix tum deficiant: Sic uſque vireſcit & uſque
Carduus infelix, & Lappa renaſcitur arvis;
Lilia, ſpiranteſque croci, molleſq; Hyacinthi,
Heu! citò diffugiunt, animaſq; ſub æthere linquunt,
Ambroſias animas, nec ſpes redit ulla fruendi.
At vos, ò ſuperi, quorum moderamine conſtant
Imperia, & nuper Capiti ſuppoſta Britanno eſt
Tergemina, & nullo ſuperabilis Hercule cervix,
Sed vobis minor, & veſtris nimis obvia telis;
Si vel adhuc meritiſque ſuis, cultuque ſuorum,
Henrico ſupereſſe datum eſt; ſi fortia facta, &
Multa viri virtus gemino uſque in Principe durant;
O facite abreptæ pereant ne ſtamina vitæ,
Quin demptos Fratri ſuperaddite Fratribus annos.

Rad. Bathurſt. M. D.
Coll. Trin. Soc.

PRoh, dolor! immenſum poſtquàm trajecimus æquor,
Sic perit in placido noſtra carina ſinu?
Ah! nimis eſſe ratum quod cernimus? incidit illíc
In brevia, & tumulos Thameſis ipſa videt.
I, propera *Iſis* aquis, lachrymis quoque turgida noſtris,
I, pete *Londinum*, flumina ſalſa petens.
Illa ratis periit, cum quâ periiſſe videtur
Caſtor, & extincto ſydere Nauta tremit.

Ad Ducem Eboracenſem.

Quin tu, ſuperſtes Dive, ſub noſtro Jove
Sydus ſalutare emica noſtro mari,
Tuumque fratrem redde per jubar tuum,
Ejuſque virtutes ut in te non minùs,
Quàm nos in ipſo (ſubditi) celebravimus:
Tuaſque vires pariter, ejuſque age vices,
Ut ille degat adhuc, & in vivis agat,
Anniſque tu ſuperſtes ejus ac tuis,
Uterque famâ ſuperet antiquum decus.

THO. TANNER
Acad. Proc.

In obit. Ducis Gloceſt.

CUm nondum binam trieterida ſenſerat ætas,
E patria & laribus cogeris ire tuis.
Scilicet hos annos fecit nova culpa nocentes,
Et naſci Regum ſanguine crimen erat.
Chara parens avidis extorrem amplectitur ulnis:
Sed tutum in matris nec licet eſſe ſinu.
Infelix amor, atque odio crudelior omni!
Protinus hinc exul relligionis abis.
Poſt varios caſus rerum & diſcrimina, tandem
Anglia meta tuæ quærit adeſſe fugæ.
Ah miſeros! ſed & hinc etiam dux magne recedis!
Et fugitur vix dum patria viſa tibi.
Anglia fatalis nimium! jam Gallia tellus
Hoſpita, jam profugis Belgia mitis erit.

JOH. DOD. Ædis Chriſti
A.M. & Acad. Proc.

In Illuſtriſſimum HENRICUM, Gloceſtriæ Ducem,
qui hinc in cœlos migravit Sept. 13.
Die *ſcilicet* Æquinoctiali.

HOc tamen Angliacam ſiſti moderamine ſortem?
Et dabit hinc pariles Umbra Dieſque vices?
Ignotum proavis miſeri jactamur in orbem;
Queis, ſatis una prius, fit modo Libra duplex.

Invidet

Invidet ut Majo durus *September*! iniqua,
Quem tulit is florem, carpit ut iste manu!
Fallimur; *Henricus*, Paradisi dignior horto,
In patrium properus gestit abire solum.
Qui tibi postremo Martyr dedit oscula, primo
Fulgidus Aureolâ dat, repetitque Pater.
Sic morum referens Juvenis gravitate Catonem,
Ingrederis scenam, moxque (quod ille) fugis.

T. Tullie, Aulæ *S.* Edm. *Princ*

O Importunas clades, securaque nunquam
Curia fessa malis, si spes mors improba nostras
Persequeris salvas, etiam tutoque locatas!
Post exantlatos apud extera regna labores,
Post bella, exilium, post funera crebra parentum,
Si postliminiò sævis, si naufraga reddis
Littora; si portusque nocens, jamjamque recepto
Læta coronatas præsentat Janua pestes:
Sic Danai redeuntis ab obsidione decenni
Flamina spargebant classes jam penè beatas;
Sospite sic aula est post Euroclydona Paulo
Vipera Apostolicam mordere domestica dextram;
Sic tibi in effugio (Princeps dilecte) malorum,
Et resalutatis inflat contagio tectis,
Votaque solventis blando insidiatur asylo.

H Paret

In obit. Ducis Gloceſt.

Parce precor cœlum, nunc & depone ſagittas,
Nec plùs quærendo ſceleris veſtigia noſtri
Ebria reſtantes depaſcant tela penates;
Vidimus infeſtas per fata recentia plagas
Auriacos lugere Lares, Lennoxia pubes
Chara perit, mœret titulo Gloceſtria caſſo:
Quantæ erit invidiæ, ſi jam de paupere cenſu
Perſtiteris ipſas etiam rapuiſſe ruinas;
Tergeminos ſi inter fratres & vincula ſceptri
Funiculus (nolo quod dicere) deficit alter.
Ah potiùs (quacunque viges, quacunque gubernas)
Sponſa veni, Tu Auguſta veni, viduataque regna
(Fœta puerperiis ſancta reptantibus Aulâ)
Auſpiciis ſolare novis; hoc pignore cedo,
Hoc pretio ſicco lachrymas, gemituſque repono;
Condono mortes, nec erit plus flebile damnum,
Si tua luxuriet ſoboles, ſi fœnore largo
Ex tot odoratis ſurgant nova germina buſtis.

Tho. Lockey S. Th. B. Ex *Ædæ Chriſti*,
& Acad. Protobibliothecarius.

ANglorum fato, *Toto Diviſus ab Orbe*
Hic jacet: in Patrium ſic redit ille Solum.
Ille per externas Hoſpes qui Regius oras
Vixit in exilio: vixerat ille tamen.

Hic

Hic ubi Principibus fatales hauſerat Auras,
Et diræ attigerat limina ſæva Domûs,
Concidit; at Quantus! *Carolo* quàm plenus utroque!
Regius ut geſſit vultus utramque Roſam!
Quàm placidum ex oculis, & quàm ſine fulmine fulgur!
Luſit ut in facie Pallade mixta Venus!
Quid tamen? an mundi labes, Regumque peroſa
Anglia, Principibus non niſi Buſta dabit?
Credimus infectis Vitiata Palatia muris.
Nec ſatis antiquam depoſuiſſe Luem.
Illa triumphales modò quæ ſurgebat in Ignes,
Quàm citò funereos gens parat Angla Rogos!
Sic ſequitur Nox atra Diem, comes umbraque lucis.
Salſior & dulces Rivulus intrat Aquas.
Deliciæque Dolorque tuæ Dux Inclyte gentis,
Opprobrium medicis, ſed decus Orbis eras;
Heu dolet, incaſſum modò quòd conata medelam,
Jam ſolùm Tumulo ſerviat Herba tuo.
Amplexura manus Victrices Anglia flexit
Sæpe Tibi, at pro Te ſæpius illa, genu.
Sed ſatis Amplexu quaſi non monſtraſſet Amorem,
— Nunc rapit in Gremium terra Britanna ſuum.

Robertus South, ex *Æde Chriſti*,
Acad. Oxon.

In obit. Ducis Gloceſt.

QUaliter *HENRICUM* præſtanti corpore Regem,
Lugebat Proavum Scotia mœſta Tuum:
Qualiter HENRICUM Magnum (Cui proximus Ipſe
Geſtis, ſpe Major) Gallia flevit Avum.
Qualiter HENRICUM Patrum Britannia triſtis
Ploravit, nec dum meta doloris adeſt:
Proſequimur tali, Princeps ter Maxime, planctu
Exequias, ſi non uberiore, Tuas.
Heu! Nomen fatale nimis, totieſque gemendum,
Eſtque prius damnum poſteriore minus:
Hic & Avi virtus, Patrui coiere Juventus,
Soſpite Te Proavi forma ſuperſtes erat:
Quicquid Majores, vel totus continet Orbis,
Infelix, quæ Te continet, urna tenet.

Hamlettus Puleſton A. M. è
Coll. *Jeſu* Soc.

ANglia Mercurio dum ſe tibi crederet, Heros,
Cur properas magnis nuntius ire Deis?
Scilicet HENRICOS, credo, Mors invidet Anglis,
Triſtiaque infælix omina nomen habet.
Maxime Dux, ſeu te decorant crinita Coronæ
Sidera, ſeu Patri proxima regna tenes,

Sis Phœbus, noſtróſque animent tua lumina planctus;
Non ſua ſic albus funera cantat olor.

G. Stringar.

Ex Æde *Chriſti* Com.

VOlvimur, & cæco vitæ per lubrica caſu
Præcipites fortuna rotat, vix dum Anglia luctus
Sopierat, mœſtumque genis abſterſerat imbrem;
Solvitur en iterum in lachrymas, jam mitius aſtris
Credidimus ſpectaſſe Deos, parcaſque vacantes
Invidia, & poſitas animis cœleſtibus iras;
Albentes purique dies, ſorteſque bonorum
Sinceræ fluere, & ſoles ſine nube ſereni.
Cum ſacrum Caroli vultum & venerabile frontis
Contigerat pondus, radiantiaque ora tueri.
Interea audiimus cælos fatale ſonantes
Attoniti, & magnis confuſa Britannia damnis
Singultus cantu, lachrymoſaque gaudia miſcet.
Quæque in feſtivos accenſa eſt flamma triumphos,
Credita præluxiſſe rogo, lauruſque cupreſſu
Ferali contexta dolet: plantaque ſilenti
Irrepens lætas pulſat mors invida turres.
Atque importunus dolor interpellat ovantes.
O nimium quæſite deis, quem fata repoſcunt

Maturum

In obit. Ducis Glocest.

Maturum divis juvenem, quem debita cœlo
Et præcox virtus, tenero sublimior ævo
Eripuit terræ, superisque accendit amores:
Occidis, & Patriæ tecum dux inclyte ad umbras,
Spem trahis; & vota & miseros unâ obruis urnâ.
Quanquam nemo unquam penetraverit incola cœlos
Gratior, & longus superûm tibi cesserit ordo:
Quanquam sidereas submittant astra coronas,
Atque Ariadnææ serpant per tempora flammæ,
Omnis & exultans tanto hospite jubilet æther:
Te tellus tamen infelix, te patria luget
Præsidio viduata suo, dolet Anglia sparsas
Dilaniata comas, Thamesisque gementia volvit
Flumina, & æquoreas lachrymis petit auctior undas.
Fluxerunt tria lustra tibi, jamque addis in arma
Te fratri comitem, magnumque exemplar adoras.
Obstupuit miles quoties aut frigora noctis
Sub Jove, vel Phœbi tuleris patientior ignes;
Seu ruis in medias acies, & cominus hoste
Decernis, densamque in turbam fulmina jactas,
Agnovit fratrem Carolus. Te proripit ingens
Vis animi, & longe æquales annosque relinquis.
Non secus in cunis olim Tyrinthius angues
Compressit puer, & cœlo se prodidit ortum.
Talis prætextâ nondum donatus, ad undas
Scipio Ticini, patriæ patrique cadenti
Umbo aderat, victæque dedit Carthaginis omen.

Spes Britonum, Lacheſis cui ſola inviderat ævum;
Cui Martis furor, & rabies armata pepercit,
Pace cadis. Sic dum Trojæ reſpirat ab armis
Pelides, molli choreæ feſtiſque Hymenæis
ndulgens, lætos inter Libitina triumphos,
Delituit, magnumque patri reddebat Achillem.
At vos (Ledæo quanquam de lumine lumen
Extinctum eſt) vos O longos durate per annos,
Sideraque Oebalii felicia vivite Fratres.

Philippus Fell, Art: Mag:
Ex: Æd. *Chriſt.*

ANglia Principibus ſemper nocitura, quid Enſe
Depoſito, Morbos blandior Hoſtis alis?
Jam Paci ſuus horror ineſt; ſua bella Quieti;
Et referunt clades tempora læta ſuas.
O Cœlum ſine Nube nocens! ſed crimina Terræ,
Dum ſpargit Peſtes, Aura rebellis habet.
Principis (heu) neſcit luſtrari lumine ſedes;
Sole Venena calent, & Viget inde Lues:
Vidit, abitq; ſimul: veluti Flos purior agri,
Quem Zephyro aſſuetum fædior aura rapit:
Phoſphore ſic oreris, fugiens citò Nube ſub atrâ;
Occultantque Ignes ſordibus Aſtra ſuos.

Evertit

In obit. Ducis Gloceſt.

Evertit noſtros quàm triſtis Pompa Triumphos,
Et Patriæ Flammas quam nova Flamma fugat?
Illa ſecuta Ducem eſt læto priùs Igne, Faceſque
Accendit Pietas; jam parat ipſe dolor.
Commemorent alii Regalia ſtemmata vates;
Laus minima in Tanto Nomine Sanguis erat.
Quanta Juventa fuit! quæ Mentis Robora! qualis
Frontis honos! Ortus ſic probat Ille SUOS.
Mars Illo Pugnante ſtetit, Ludente Cupido;
Dum ſua Uterque putant Tela decere Ducem:
Sedit in ore Pudor; caſtè quoque Forma refulſit;
Et Virtus Leges juſſit ineſſe ſuas.
At pulchri vultus maculantur Peſte; Triumphos
In Facie ſignat Mors, ubi pinxit Amor.
Sola habites; Tumuluſq; Ducis Te Puſtula, Servet:
Amplum nempe locum tanta ruina dabit.

Hen. Bagſhaw., A. M.
ex Æde *Chriſti.*

IRæ Deorum, Voſque Avernales minæ,
Acheronticuſque livor, atque Orci furor
Quouſque tandem ſævietis? aut quibus
Cruoris eſtis expiandi victimis?
Poſt cæſa bellis agmina, & clades Ducum,
Et purpurato rore ſtagnantes agros,

Nondum

Nondum Cruoris ægra ceſſavit ſitis?
Dabimus opima ſpolia. Quin vobis cadat
Sceleſta turba, ſiderum & terræ pudor,
Odium Britannæ Gentis, atquæ unà Deûm.
Pereat cruoris Regii quiſquis Reus
Fædavit animas, atque monſtroſum nefas
Vicit Thyeſtis, quique (proh ingens ſcelus!)
Patriæ parentis ſanguinem infandus bibit.
Impune in illos torqueant fulmen Dei.
At quid laceſſit Parca ſacratum caput,
Carolique ſobolem rurſus exilio premit?

Nath. Gwinne,
Coll. *Trin.*

QUæ nos Tantaleæ vexant ludibria cœnæ?
Nec dum libatus diffugit ore latex?
A cunis exul, patrio modo redditus orbi,
Quo celeri infelix cogeris ire fugâ?
Jnvida quæ condunt orientem nubila Phœbum?
Atraque naſcentem corripit umbra diem?
Nox iterum & tenebræ? miſeros quonam improba ludo
Sic juvat, & celeri vertere fata rotâ?
Quæ tibi florentes Lachęſis crudęlior annos
Abſcidit & tetricâ mollia fila manu?

Te

In obit. Ducis Gloceſt.

Te numen Britonum, mœſtus te Carolus ardet
Tam præmatura diſtinuiſſe fuga:
Te vocat & miſera miſtus cum plebe Senatus;
Sed rapiunt vanas ventus & aura preces.
Nimirum noſtras ridet fortuna querelas:
Par hominum invidiæ, par erit illa deum.

Gul. Willis, A. M. Coll.
Trin. Soc.

CArolidem, heu ſero, patrias advexit ad oras,
Nuper facta ratis, pondere læta ſuo.
Protinus ad littus feſtinat amabile vulgus;
Jactâque ad cœlos aera voce replet.
Mirantur ſuperi tantos ſpectare triumphos;
Atque homines ipſis jam dolet eſſe pares.
Convocat extemplo ad ſtellatam Jupiter aulam
Quæque tenent pelagus numina, quæque polos.
Conveniunt properi: Diviſque ex omnibus Hermæ
Annuit, et tales protulit ore ſonos.
Audis, Nate Dea, quæ ſint ſpectacula terris?
Et quid lætitiæ Scotus, & Anglus habent?
Bis ſenos deſertum annos modo venit in Orbem
Carolus, & Fratres, quos tulit Una duos.

Invideo

Invideo certe indigenis, tantoque potiri
Munere cœlestis non sinit ira diu.
I, pete, quæ jactas, argentea tela, manuque
Blandâ hunc, quem nimio stringis amore, feri.
Quid faciam; constat: Numerum partirier æquum est:
Unum cœlum habeat nunc sibi, terra duos.

G. Cox, Coll: *Mag*:
Socius.

RIserat externas fælicior Anglia Gentes
At (proh!) rivales jam videt esse Polos.
Principis igne calet cœlum, sic cedit Amori
Et Patri Princeps proxima Stella nitet
Noluit angusto vixisse inglorius Orbe.
Cum regeret Terras FRATER & astra PATER.

Gulielmus Wiat.

QUo lymphis mœsti æternum turgetis ocelli?
Et Lachryma in madidos defluit usque sinus?
Non hæ fœmineis saliunt è fontibus undæ,
Lumina nec molli tacta dolore madent.

Arte

In obit. Ducis Glocest.

Arte vacant oculi, nimium eſt hæc juſta dolendi
Materia: & luctus flere, virilis erit.
Deliciæ Anglorum! miſeræ ſolatia gentis!
O anima, & patriæ vita ſaluſque tuæ!
Et cadis, & ſacrum tibi fixit arundine pectus,
Injecitque avidas Parca profana manus?
Tenè triumphaſem modò lœta Britannia vidit?
Hæſit & in vultu pendula turba tuo?
Tenè & ſublimen feretro mœſtiſſimus ordo
Ducit, & auguſtum contegit urna caput?
Sic lœtos Pœſtanus ager dum ſpirat odores,
Improba pubentes enecat aura roſas.
Pallida ſic fluxos declinant lilia culmos,
Cum madidus veris demetit Auſter opes.
Quæſitus patriæ nemo magis aſtra petivit,
Nec magis Elyſiuum flebilis umbra nemus.
Mœret pulla domus, deſolatique penates;
Languet funereo Curia muta ſitu.
Et tantum in lachrymas, tantum in ſuſpiria mœſti
Vivimus, & triſtis, corpus, imago ſui eſt.
Tu præſtas cinerem, & livens (Dux magne) cadaver,
Nos commune tibi marmor & urna ſumus,

Rob. Feild, A. M.
Coll. *Trin.*

PUblica te Dux Magne, dabant Jejunia genti,
Sed facta est nato Principe festa dies.
Te moriente, licet celebraret læta triumphos
Anglia; solennes solvitur in lachrymas.
Solus ad arbitrium moderaris pectora; solus
Tu dolor accedis, deliciæque tuis.

Gul. Penn. eq. Aur. fil. natu Max. ex Æd. *Christi*, superioris ordinis Commensalis.

CUm Tres excepit redivivos Anglia Fratres,
Et voluit Terno hæc unica Sole Regi,
Pythagora tua me tenuit sententia, ut ipse
Crediderim Numeris omnia inesse Tuis,
Sed satis in Ternos Soles non una patebat
Terra, & splendori non satis ampla suo est;
Ipse suam Princeps animam exhalavit, & ultrò
Fratribus Imperii fræna molesta dedit,
Ille licèt mores hominum vidisset & urbes,
Advena, & hoc quamvis regna superba forent,

Littora

In obit. Ducis Gloceſt.

Littora ſed poſtquam vidit ſua gratior hoſpes,
Hic ſe gaudebat vel potuiſſe mori,
Anglia ſola fuit ſic digna Cadavere Tanto,
Quæ quondam Tali ſub Duce Tanta fuit.

INduat atratas Rediviva Britannia veſtes,
Excipiantque ſuas vitaque, morſque vices.
Incedat tardo lugubris Gloria paſſu,
Pullato terram ſyrmate verrat Honos.
Occidit *Henricus*, quanti vox iſta doloris!
Hic quo Signandus nomine caſus erit?
Occidit ille fide propior, quàm ſanguine Regi;
Et Patriæ pluſquam tertia cura ſuæ.
Aſtyanacteos vix dum compleverat annos,
Qui viſus Pylio eſt plus ſapuiſſe Sene.
Ille Numa pietate prior, Gravitate Catone,
Ipſe ſibi exemplar, quod ſequeretur, erat.
Quid reddam cineri, niſi flores, oſcula, fletus,
Scilicet; obſequii triſtia ſigna mei?
Parce precor, dedero morienti ſi rude carmen,
Nempe caret genio, Dux, mea Muſa Tuo.

Carol. James. Ex *Æd. Chriſti.*

IN veteres igitur damnabitur Anglia luctus?
Nec lætis cum Rex venerit esse licet?
Queis præ lætitiâ lachrymæ fluxere frequentes,
Irrorat madidas tristior unda genas;
Jam merito esse potes suspecta Britannia, natum
Occidis reducem sustuleraſque patrem:
Cui modo præstiterant vel summa pericla salutem,
Tutus in amplexu nescius esse tuo:
Nos infælices patriis fugis exul ab oris:
Admissus, patriâ quo novus exul abis?

Geo. Hooper. ex Æde *Christi.*

CAndida qvæ *Carolo* nobis oriente resulsit,
In noctem subito vertitur illa dies.
Quæ nuper lætas duxit rediviva choreas,
Jam morituræ instar terra Brittanna jacet.
Quosque triumphales jamdudum struximus ignes,
Extincti lacrymis, mœsta favilla manent.
Scilicet ut piceæ nubes, rapidæque procellæ,
Cœlesti eripiunt astra coruſca polo:
Sic Ducis occasus subduxit gaudia nobis,
Aulaque nigrescit, quæ prius *Alba* fuit.

Tho. Goodere, Armig. Filius natu max. è Coll. *Trin.*

In obit. Ducis Gloceſt.

HIc ſitus eſt Primi natus, Fraterque Secundi,
Hoc ſatis ad laudes; hoc ſatis ut doleas;

Tho. Glynne Armig.
è Coll. *Jeſu.*

CÆlitus exemplar miſſum! Flos Magne Britannum!
Ardentis patriæ Surgens a Funere Phœnix!
Et Regni columen, navis Palinure Caducæ!
Cur præcox fato cedis? cur ſcandis Olympum
Ante diem? qua parte poli nova ſtella micabis?
Inter Borbonias? an qua via lactea cælos
Ducit iter? vel plauſtra patris moderaris habena?
Inter Gnoſſiacæ vel fulges ſerta puellæ?
Quondam Sancta trias fratrum, at (poſtquam occidit unus)
Tyndaridæ Gemini! Sulcantibus æquora fauſtum
Augurium! Nautis Helice & Cynoſura Britannis!

Joh. Fitz-William
A. M. Coll. *Magd.*

OPprimeris, nuper rediviva Britannia luctu,
Atque extincta tuo cum Duce pæne jaces.

Queis

Queis modo perfusa es, tua gaudia fluxa recurrunt,
Et nimis Oceanum sunt imitata tuum.
Quam malè credideras quod tam feliciter annum
Cœptum non poterat claudere tristis hyems.
Cerne ut marcescant tantum plorantia Lethum
Omnia, graminibus destituuntur agri.
Languida deciduis nudatur frondibus arbor,
Et velut in trunco est quæq; sepulta suo.
Fit breviorq; dies, post mundi funera; solus
Heu! lethi didicit nescius esse dolor.

Fran. Eede, A. B.
ex *Æde Christi.*

POst varias terras visas, varioſque labores
Non meritos, fidei & vitæ discrimina multa,
Anglorum optatos fines tandem attigit Heros
Maximus, Augusti proles Divina Parentis,
Excepit plaudensque suum Britannia civem;
Ille sed hanc patriam negat esse, faventibus astris
Mitius exilium tantum putat, ibimus ultrà,
Et properamus, ait; sordet quod possidet Orbis;
Illa mihi solum patria est, ubi cernere clare
Fas utrumque Patrem, *Carolum* primum, atque Jehovam.

Tho. Ellis M. A. &
Soc. Coll. *Jesu.*

Qui

In obit. Ducis Gloceſt.

QUi tribus eluxit Britonum modo Solibus orbis,
Cernit lugubres nunc ſinè ſole dies.
Impendentque novæ lapſo Phaethonte ruinæ,
Jam lachrymis mundus, qui prius igne, perit.
Undè ſub hàc ſtamus lachrymarum mole? doloris
Heu partem noſtri Rex feret ipſe ſuam.
Regia ab arce cadis (Princeps) cum vix Tibi poſſis
Aſtyanactæos enumerare dies.
Luctu Calliope, ſueta impalleſcere chartis,
Pallet, & in vultu eſt mortis Imago Tuæ.
Quæ Te victorem placida poſt bella ſonabant
Voce, tubæ mœſtos jam didicere ſonos.
Arma etiam averſo deſpectant cuſpide terram;
Extinctum & lugent ferrea tela ducem.
Dat civile novum dolor omni in pectore bellum;
Tu tamen è nullo pectore pulſus eris.
Ah! patriam nimium properaſti viſere gentem,
Quum magis ulla favet, quàm Tua terra, Tibi.

Jacob. Fenn. Ex *Ædc*
Chriſti Alumn.

Hactenus

HActenus exhibuit lacrymas Rex Magnus obortas,
Et gemitum sors ista tulit; Luxere cadentem
Phosphoron, & nigris mersum Titana tenebris
Anglorum pullata cohors. Semperque silentem
Nostra secuturam timuerunt secula noctem.
At nebulas piceæ demum caliginis atras,
Obscuramque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum subito (precibus nequicquam obstantibus) ecce
Nox iterum tenebrosa redit. Vastumque per æquor
Occidit, avulsusque suo de Castore Pollux
Omina sollicitis portentat tristia nautis.
Quorsum adeo nostris illudunt Numina rebus?
Quorsum adeo libitina furis? cur vota precesque
Pro nihilo reputas. Et spe jactamur inani?
Usque adeone, Mori certum est? at inutile pondus
Vivit adhuc impune malus; remanesque superstes
Infima plebs, mortemque fugit sine nomine turba.
Sic madidas nihili pluvias, & flamina ducens
Crescit ad extremam mordax urtica senectam,
Nullius violata manu. Florere diuque
Lappisque tribulisque datum est. Sic grandior ætas
Et Lolia & steriles sensim protraxit avenas.
At subito periere rosæ; & candentia campi

Lilia

In obit. Ducis Gloceſt.

Lilia nubiferos primò moriuntur ad auſtros.
Occidit heu! mediâ raptus florente juventâ
Illuſtris Satrapas; qualis cum lilia languent
Virgineâ decerpta manu, vel ſævior Eurus
Diſcutit adverſis vernantia prata procellis.
Nòn illum Pietas, non illum candida vivum
Pectora ſervavere, manus nil profuit illi
In bello ſpectata ſatis, facundaque lingua:
Nec ſua Nobilitas illum nigro eripit Orco.
Deſino mirari mortales fata ſubire,
Cum mors ad ſuperos, & Numina pervenit ipſa.

Nic. Floyd. A. M.
Coll. Wad. Soc.

FEſtinas, Princeps, ſic Patrem inviſere, quem mors,
Invida ſat nobis, reddidit æqua Tibi?
Natus ad ærumnas, & triſtes ferre dolores,
Qui dum vix patriæ naſceris, exul abis.
Finito exilio quid geſtis tendere manes
Ad patrios, reditus nuncius ipſe Tui?
Quin potius *Caroli* perfuſi ſanguine dextras
Placent iratos victima cæſa Deos.

Guil. Jackſon, A. B.

PRincipis *Henrici* ploramus funus acerbum,
Funus Britannis triſte, lætum Principi:
Ille etenim flentes ſic eſt affatus amicos,
Poſtquam imminentis nuntium accepit necis;
Ecce lubens Fatis cedo, tibi reddita vidi
Tua regna Frater; Reddita eſt Anglis ſalus.
Nunc ſolum reſtat mihi regna inviſere Patris;
Cœloque, Terris exulem, Civem dare.

Robertus Markham, Equit.
Aurati filius è Coll. *Wadh.*

ABreptum (viduata prius) dolet Anglia natum,
Heu! *Carolum* ſequitur filius ante diem.
Non morti cedit Princeps, à lumine noſtro
Raptus ſub terram (Solis ad inſtar) abit.
Cum ſummi approperet ſeceſſio grata Senatus,
Stellatam Princeps tranſiit in Cameram.

Geo. Meryfield, A. B.
Soc. Joan.

Mergitur

In obit. Ducis Gloceſt.

MErgitur Oceano lachrymarum cymbula noſtro,
Anglia bis lacrymis Inſula facta ſuis.
Non contenta ſitim plebis ſatiaſſe cruore,
Regales cyathos ebria peſtis amat.
Sarcophago fodit ungue ſuum moriente Sepulchrum
Fronte tua, tumulus ſic tibi vivus eras.
Luna, ſuas habuit maculas, tua terrea moles,
Solaris ſalvo lumine, clara micat.
Fœdam ferre nequit tua mens puriſſima labem,
Nec pia peccatum ſanguinis, inde fugit.
Erubuit morbus, dum candida purpurat ora,
Et maduit lacrymis puſtula fœta ſuis.
De vena ſaliente fluit qui ſanguinis imber,
Hic via cœleſtis lactea ſanguis erit.

T. Eldred, A. B.
Soc. Joann.

NAtorum Niobe dum defles funera, ſaxum
Evadis; fatum quàm grave ferre tuum?
Nos tamen haud talis terret fortuna dolentes,
Immotis potius marmor ineſſe reor.

Ch. Croſſe, Joan.

QUæ nuper dicta est Redviva Britannia, dici
Nomine mutato, jam Moribunda potest.
Quíque Triumphalis Londinum intraverat Exul,
Henricus (Britonum gaudia magna) redux:
Nunc gemitu planctuque Exit, (tam lubrica vitæ
Scena est) & Magni Nominis umbra cadit.
Ergóne tam dirum poteras, morbe improbe, factum
Patrare: & Sacrum sic violare Ducem?
Hæccine sub Librâ, Astrologi? totidemque periclis
Servatus Dux est Fata ad iniqua pius?
Sed puduit tanti sceleris; bis sexque Diebus
Est occulta Lues, Hippocratemque fugit.
Tandem ex insidiis (spreto medicamine) Victrix
Prodit, nec *Medicâ* profuit esse satum.
O Ducibus fatale tuis, Glocestria, nomen!
Tuque Monasterium, miraque claustra tua!
Tam citò præreptum vobis ploretis Honorem,
Ingeminetque Echo vestra stupenda sonos.
Dum nos intereà lugemus ad Isida Cygni,
Et musa ad tantum Præfica quæque rogum est.
Imò natat lacrymis tota Anglia, ut altera Delos,
Tam Juvenis Phœbus quod cadit ante Diem.

D. Danvers Coll. *Trin.* Soc.

Vivus

In obit. Ducis Gloceſt.

VIvus eras odium vulgi, Dux Magne! Britanni,
Ejuſdem ſed amor, delitiæque peris.
Mercurius Tecum moritur, cadit ipſe Gradivus;
Tecum totius circulus artis obit.
Hinc rapuiſſe ſibi Te quodam jure videtur
Mors, tantumque Ducem portat ad uſque Deos.
Ah citò ſuccumbunt fatis cultriſque Sororum
Optima quæque, virent deteriora diu.
Carpitur è medio pomum ſpecioſius horto,
Et prius injicitur thus magè ſuave focis.
Vivit edax vultur, vivitque in ſecula cornix;
At ſupereſt annos vix philomela duos.

Johan. Vincent. A. M. ex
Æd. Chr.

QUæ memorent linguæ meritæ præconia laudis?
Non aliæ, quam quas calluit ipſe, queant.
Mundi ille interpres: Gallus, Germanus, Iberus,
Angliacum volumus; Coſmopolita fuit.
Tot tulit huc gentes fœcundæ copia vocis,
Inſula quæ fuerat, protinus Orbis erat.

Plurima

Plurima vox atque una simul ; nam pectore lingua
Quælibet illius condita, sancta fuit.
Agnovere fidem Rex, atque Ecclesia tantam,
Quanti non Mater, totaque Roma fuit.
Consilio & Campo par Martis alumnus & Artis:
Illa manus gladium stringit, & illa librum.
Nescierat dum terra parem, rapit æmulus æther :
Sydera sic petiit Dux, simul Illa Ducem.

Jo. Williams Baronettus
è Coll. D. *Jo. Bapt.*

TUrgida quæ causa est lachrymarum, flumina dudum
Quod Patriæ ripas non tenuere suas ?
Quanto se cœlum nigro vestivit amictu ?
Ad funus tantum Sol cupit esse niger.
Sese in quàm multos solverunt æthera fletus ?
Mœstitiæ ut possint edere signa suæ.
Sol tecum ô heros moritur dum lumine pergit
Oppositas gentes irradiare suo ?
Te, Divi *Caroli* natum quem firma probavit
Relligio, socium jam Patris esse juvat.
Uno mors non ausa fuit committere telo
Hoc scelus, innumero vulnere lęsus obis.

Edm. Neale, Arm. fil. è
Coll. D. Jo. B.

In obit. Ducis Gloceſt.

Poſt bellum, tot fata Ducum, cæſaſque coronas,
Mactatoſque (auſim dicere) penè deos:
Vlterius tandem miſeris quid triſte Britannis
Moliris, proh ſors ingenioſa malis?
Exilium paſſi, *Carolis* abſentibus, Angli
Invidere aliis, erubuere ſibi.
Imperat Hiſpanis *Carolus* Belgiſque, quid ultra?
Fratribus ille ſuis imperat, ille ſibi.
Quis regno caruiſſe putet? quod floruit uſquam
Latius exilio, Cæſaris imperium?
Gloceſtrenſe decus, quo nil auguſtius audit,
Ni *Caroli* Frater, ſive *Jacobe* tuus.
Gens quem quæque cupit, cujus juvenilia tantùm,
Heu tantùm! mundus vidit, et obſtupuit.
Hermes, poſſe loqui cum vix promitteret ætas,
Non linguis tantùm clarus, at eloquio.
Inter caſtra vigil, conſtans ad templa, ſolebat
Sic ſuperare viros, ſic ſuperare deos.
Nunquam non felix, invito Marte triumphans,
Deleroque ſuo milite victor erat.
Senſerat opprobrium fortuna, ultraque timeſcens
Morbo conſpirans excutit iſtud onus.
Sic fixos reddens utroque ſtupore videntes,
Quantum quamque brevi vixerat, & periit.
Anglia cui cunas, felix quoque ni daret urnas:
Hoc tantùm patriæ debuit ille ſuæ.

Joh. Speed, A.M.
Soc. Joan.

ANglia jam planctu resonabit, Hybernia fletu,
Effundet lachrymas Scotia mœsta suas.
Sæviùs exurgunt tumidæ dum fletibus undæ;
Fiet inexhaustum terra vel ipsa mare.
Dum triplici Oceano lachrymarum immergere; vestrum
Nescio num corpus terra, vel unda tegat.

Ch. Adland.
è Coll. *Joan.*

QUid mœsta nomen Insula ex Albo tulit,
Ubique ponto cincta, nec lachrymis minùs?
Cum liquit Anglos generis humani Titus,
Cœlique Adonis, morte quem blandâ rapit
Libitina tristis magis, & infelix Venus.
Illustris anima! nulla Pythagoræ fides,
Priscumve dogma suasit, ut similem tibi
Natura speret; Aula te primo pium,
Nullumque novit innocens murex nefas;
Ancile patriæ! nulla sed tibi parem
Simulabit ætas; dulce Palladium togæ!
Sed quale Pallas, Gorgone amotâ, dedit.

Nec

In obit. Ducis Glocest.

Nec has severæ porticus artes docent,
Rixæque tenues, aut inutilis labor
Ineptiarum dederat, at rerum sciens
Hominumque genius, Tanta præcocis fuit
Vel spes juventæ, tantus indolis vigor,
Tam Dia mentis munera & ratio potens,
Ut crudus hostis Entheæ & turbæ favor
Regem voluerat, unicum & belli decus
Et hunc triumphum ut serviat victo cupit.
Accipere multis Regius sanguis dedit,
Negare regnum solus *Henricus* potest.
Hunc propter, astra petimus, & pluris polum
Nunc Roma vendes; propter hunc Indi truces
Optare cœlum simul & Hispanos velint;
Sic quicquid alii cælites ipsis solent
Debere superis, debuit cœlum tibi.

Rad. Bonn Nov.
Coll. Soc.

HEu plangenda lues, nullaque invisior umbra!
Et crimen gentis suppliciumque simul!
Per quam Cæsaribus, vel amici, reddimur hostes,
Et patria en insons cogitur esse rea.

Quâ ſcelerum ſerie nos damnant ſidera? peſtis
Quanta fuit, ſi nunc Anglia peſtifera?
Morte ſua extorres liquit; ſin jure recurrit
In nos exilium, quod prius ipſe tulit:
Terra ille expulſus ſecum tamen æthera vexit:
Plus patriâ, patrios fert ubicunque deos.
Tum pius Æneas, profugus, dum parvus Iulus,
Herculea & plus quum prælia paſſus Hylas.
Defenſor fidei, cum nil niſi bella, puerque;
Et, qui plus potuit cogere, matris honos.
Heu quantum pugnant hic transfuga, filius idem?
Excludi hinc miſerum, deſerere inde nefas.
Religio & mater: deus eſt in utraque parente,
Sed minor hæc. Superat Jupiter ergo Lares.
Hoc decuit tantum donis utriuſque Minervæ,
Quæ vel Achillis agit, quæ vel Ulyſſis opus.
Tot geminæ dotes coaleſcunt Martis & Artis;
Marcellum hinc præſtant, inde Mathematicum.
Nunc memoranda facit, nunc quæ facienda perorat:
Pollet dextra foras inclyta, lingua domi.
Vox procerum, frænum plebis, rectorque ſenatus
Vel regnantis erat; nempe ita rege prior.
Concilii Genius; cum quo pereunte repente
Patricii cedunt, ipſe ſenatus obit.
Dux tamen interea ſecum conſulta profectus
Suſtulit, ut fierent ſic rata cuncta Jove.

Cœlum

In obit. Ducis Gloceſt.

Cœlum legatus petiit, juncturus Olympo
Tellurem ſtabili fœdere, noſque Deo.
Ne lachrymæ invideant avido nova ſidera mundo.
Nec patri natum Cœlitibuſve parem:
Virtutum in *Carolo* dum meſſis tanta ſuperſtes
Cœlo, ſeu decimas, hunc repetiſſe licet.
Quanquam ô dum vixit ſtudiis cum clarus & armis,
Et nobis Pallas, Palladiumque fuit.

Tho. Winnard, S. T. B. Coll. D.
Jo. Bapt. Soc.

QUaliter occultâ reſerans Spagyricus arte
Corpora, multùm operi poſtquam inſudauit & alſit
Bis denas hyemes, fornaci & follibus inſtans;
Languentem reficit, creſcentem temperat ignem.
Donec Aquam divinam, atque ad miracula factam
Naturæ extorſit labor improbus; Ille recluſa
Sollicitis nimium dum tractat gaudia palmis,
Frangere quæ metuit, frangit cryſtalla; ſed iſta
Evolat, & nulla demum reparabilis arte
Solvitur, & ſilice ah duro colliſa liqueſcit:
Ille decuſſatis hærens immobilis ulnis
Et ſtupet, & dolet, & ſimbundo pectore ſævit.

Non aliter Natura, ſagax operaria, quamvis
Jam penè emerita, ut vires oſtendat anites
Sublimem parat illa animam, quam corpore pulchro
Collocat, at fragili, titulos virtutibus ornat,
Virtutem titulis, & cum vix luſtra peregit
Quatuor, exactum attonito dat munera mundo
Henricum; *Henrico* Mundum Fortuna datura eſt,
Ni proprio metuat ſceptro, ne ſcilicet Ille
Altior & cunctis majus ſtet Numen in aris.
Ecce tot annorum Curam (miſerabile dictu)
Mors (& fortè nimis Cura officioſa) refregit,
Spiritus ecce ingens tenues vaneſcit in auras.
Interea attonitos tam dira clade Britannos
Nunc ſtupor, inde dolor, tandem furor occupat, œſtro
Percitus ipſe loquor, facit Indignatio verſum.
Muſa mihi caſus memora, quæ regius Ille
Dura fugæ mala, dura & belli & carceris Ille
Illuſtris virtute Puer, quæ ferret adultus.
Me miſerum! quanto cogor meminiſſe dolore
Temporis illius, cum Rex moriturus in almo
Exceptum Gremio, ſacraque in ſede locatum
Spectat inexpleto dilectum lumine natum!
O quàm contentis oculis Pupum aſpicit! O quàm
Oſcula, chara ferunt & verba noviſſima! cerne
Quos miſcent vultus, quibus in complexibus hærent:
Ter jubet abduci, revocat ter *Carolus*, Illum

Tenden-

Tendentemque manus, Patris & genua arcta tenentem,
Divellunt crudelè ad dira repagula ſævi
Tortores, quanquam ſit carcere durior ipſo
Carceris iſte locus; locus invius, obſitus undis
Et ſcopulis immanè ſonantibus; hic Pater, hic Rex,
Hic *Carolus* Martyr nota captivus in Arce
Vixerat; huc veluti rurſus crudelia ſacra
Inſtituant, buſtoque parent mactare paterno,
Vinctum & vittatum ſiſtunt. Monumenta doloris.
Hic ſæva oſtendunt, cupiuntque occidere gratis:
At non omne ſcelus felix, ſuccumbit Eliza,
Suſtinet *Henricus* ſolus: fremere ergo Tyrannus
Incipit, *Henricus* patria quia veſcitur aura:
Omnia poſſideat *Cromwellus*, in æthera nunquid
Juris habet? Princeps eſt Aeris? ergone regnum
Lucifero eripuit, Cacodæmone tetrior illo?
Nil juvat, ut tumulo Patris Aſtyanacta revellit
Henricum, & procul extorrem jubet ire volentem.
Excipiunt ſoror & Fratres, ſolantur, & acres
Dant animos, nunc arma viro geſtanda, comanti
Induitur galeâ, laterique accommodat enſem
Belliger, attonſis ſonipes nunc excitat arvis
Pulveream nubem, mediis nunc millibus ardet
Ire viris, turmiſque rebellibus involat Heros.
Fortior incertum faciendo, an tanta ferendo!

Doctior

Doctior an melior? non Loyola pestifer illum
Non importunæ flectunt contagia turbæ;
Non aula illecebris emasculat, utque reversum
Reddiderat patriæ velis Fortuna secundis,
Cœlum non Animum mutat, dicique beatus
Donec Cœlo Animum reddas, *Henrice*, recusas.
Quin Deus ut primas voluit descendere glebas
Ne foret instabilis mundus, fecitque cadendo
Undique ne caderet, stella hæc pariter Carolina
Si saltem cecidit, Deus hanc cecidisse volebat,
Arctiùs ut Cælo, atque aucto fulgore locaret,
Nè foret ulteriùs Fortunæ obnoxia Virtus.

Francis Turner, Nov. Coll. Soc.

ÆQuora secantem siste Mercator ratem,
Et luctuosus vela contristet color:
Miserere regni, quod jam inundatur novo
Diluvio, & ipsis fletibus ruit suis.
Qui ter plicatus, spem Britannorum, rudens,
Sustinuit, anchoramque regnorum trium;
Plexu minutus tertio, incussit metum
Anglis, & Omen durius solito tulit.
Tricorporem Gerionem, unitum genus
Fraternitate, durior trium Soror

Dilaniat,

In obit. Ducis Gloceſt.

Dilaniat, unam Cæſaris partem petens.
Eheu! Fugaces cæteris Parcæ locis,
Tantum huc ſequaces: gentium ſuſquam Duci
Foras repertum eſt, obvenit Fatum domi.

Gul. Skinner, Nov. Coll.
Soc. & Juriſta.

Huc huc adeſdum quiſquis ad tumulum Ducis
Lacrymare gemmas poteris, aut Elegos loqui:
En Occidentem! cujus ad Fatum dolet
Europa tota, quodque mirandum magis
Vel ipſe Livor totus in gemitus abit:
Quis jam Potentes eſſe mortales neget?
Nunc imminere Damocli gladium ſcio.
Hinc ſic inundat Iſis, & lachrymis fluens
Turgeſcit Helicon, ſed nec in lachrymas ſatis,
Marmorque deflet, quippe quod talem tegit.

Ro. Reade, N. C. Schol.

SIccine tam celeri miscentur gaudia luctu?
Instabiles mutant tam citò Fata vices?
Regales vix læta prius capit Anglia Fratres
Quàm rursum, ad superos, è tribus unus abit.
Scilicet ingentes animos, pectusque virile
Cum vidit Lachesis, credidit esse senem.
Jamque decor fuerit, non morbus; publica cum sit
Sanguine Regali Nobilitata lues.

Gul. Waferer. N. C. S.

QUid Optimatum, triste spirantes, ferunt
Populique Gemitus? Quid sibi novi velit
Mutata Regni scena? Jam subit, virum
Cecidisse, qui nec debet, aut potest mori.
Canicularis asper hic morsus fuit:
Sic sæva venam Fata Basilicam petunt.
Haud posse Reges, sæpe sperabam, mori?
Hoc non Licere credidi, Fatum, tibi
Supraque Nomen Dura Parcarum trias.
Sic in Theatrum venit atque exit Cato.
At tumulat ipsum Patria, ne talem tegat
Peregrina, qualem Terra vix peperit virum;

Sic

In obit. Ducis Gloceſt.

Sic, Phœbe, Cineres Delphici oſtentant tuos,
Sic Creta cunas jactat & tumulum Jovis.
Titubabit Atlas, onere ſub tanto cadens:
Hic Literarum Genius: atque Anglis modo
Dictator, at nec Fata perpetuum velint.
Jam Publicani, Capitis in cenſum dati,
Colligite Nummos pariter & Lachrymas ſimul;
Effundet Oculus, Lingua quos Elegos, nequit.

Steph. Penton, Nov. Coll. Schol.

ANglia civili jamdudum fracta duello,
Nunc iterum, quod ploret, habet: ſeriemq; malorum
Continuat, luctumque novis cum luctibus auget.
Aſpicis, ut Nigros nunc Alba Palatia peplos
Feraleſque trahant taxos: quàm lentior exit
Anguſto Thameſis dum flumina colligit alveo
Quo poterit lugere magis: Nunc Triſtis Ierna eſt,
Cordaque miteſcunt, habeant licet aſpera, Scotis.
Nunc ſociæ Gentes, Rhodani Rhenique bicornis,
Eridanique adſint, veniant quos Baltica cingunt
Æquora, quos Bætis, Ligeris, quoſque alluit Iſter,
Et quos Adriaco juſſit regnare profundo
Annulus, Odryſias & debellare Phalangas,
Ad noſtros properentque Patres: Pars fœderis hæc eſt

Condoluiſſe malis: Gentis dilecta voluptas,
Et communis Amor, moritur; ſi Gratia formæ
Quæritur, en Talem nunquam finxere poetæ;
Semideis ſi laus fuerit Prudentia, Talem
Vix Nobis ſperare licet: ſpectabilis olim
Si Pietas magis ipſa Placet, Sis Gallia teſtis
Muneribuſque immota fides, radianſque Galerus
Pontificum, (tamen exul erat;) ſi Principis Artes,
Sedulus Annales Graios, Latioſque revolvit,
Nunc gentis Monumenta ſuæ, nunc Pila Quiritum,
Cæſareaſque acies & formidata Britannis
Imperia, hinc ſævos nec (falſo nomine) Pictos,
Et Normannorum furias, iraſque Danorum
Noſcere cura fuit, latuit nec tota vetuſtas
A Fergo ad *Carolum*, hinc Regno, quod Reſpuit Infans,
Ipſe nec Indignus; ſed tantum fata (nec ultra)
Oſtendunt terris, nimiumque Propago *Stuarti*
Viſa potens cœlo, ſi dona æterna fuiſſent.
At Rex Magne, tuis qui legem & jura miniſtras,
Humanis majora malis, & turbine fati
Pectora qui geſtas; tantis *Patientia* curis
Quem dudum aſcivit comitem, ſolatia quære
Si qua tuum poterint lenire exempla dolorem:
Luxerat Arthurum, qui firma pace ligavit,
Qui noſtras junxitque Roſas, Talemque Jacobus
Henricum, æquales annis, virtutibus Ambo,

Nominis

In obit. Ducis Gloceſt.

Nominis hæredes, quod fuſis Saxones armis,
Quod toties tremulis horrebat Sequana ripis.
Interea tumulo quicquid gerit India, quicquid
Dives thuriferis jactat Panchaia campis,
Pœſtanaſque roſas, & florum perpetuum Ver,
Electrum, violasque & ſuave rubentem hyacinthum,
Cinnamaque infundam, ſic latè jactet odores,
Marmoreumque Tibi poterit ridere Sepulchrum.

Ed. Colley, Coll. *Nov.* Soc.

VT citiore fugit quam quò venit axe Triumphus?
Ut rapit inceptam lubrica Sphæra diem?
Proh volucris tormenta rotæ, atque Ixionis Orbes!
Quanto vel Superi plectimur Elyſio!
Dant etiam lachrymæ flumen, dum ſtat ſibi quiſque
Tantalus, & refugas delicias queritur.
Sic reliqui morimur: venerum tot lumina, Muſæ,
Virtutes, Pietas non potuere mori.
Incaſſum Medicina, ſacros tentaveris artus;
Non illos febres, non tenuêre varæ.
Sed cœlum, & ſparſæ micuerunt corpore Stellæ:
Non expectato funere, ſydus erat.

N. Sterry, Coll. *Mert.* Soc.

O Justa quàm sunt Acta Fatorum, Domus
Quàm ritè *Caroli* est sparsa! Quam ritè occupat
Utrumque Mundum! Cœlitum Regnum tenent
Tres, Nata, Filius, Pater; & totidem alterum
Nati, Sorores, Mater Imperium regunt:
Minora tantæ quæ Deus stirpi daret?
Vt justa Terras, sancta possideat Polos?
Ergo tuorum precibus evecte avola
Henrice! Terras Tu toties Exul videns
Solùm videndos Magne Dux Cœlos habes:
Fratri Exulanti qui comes fueras pius,
Atque imperanti subditus, propera! & Patri
Et Martyri Te Martyrem adjungas novum,
Et ista referas Verba: Sufficiunt Duo,
Rex, Duxque Terris; Præripit Cœlum Pater,
Fratris *Jacobus*, Patris *Henricus* Comes.

Geo. Moore Ar. Mag.
è Coll. *Oriel.*

In obit. Ducis Gloceſt.

Siccine, jam rediens, fugis irrevocabilis exul,
Teque premit, noſtrum mors imitata ſcelus?
Mens abiit; ſolo potimurque cadavere: Noſtrâ
Quam ſede expulimus, mens fugit ipſa ſuam.
Tam citò dum moreris, geminus patriam occupat horror
Te pudet ejectum, Te rediiſſe piget.
Sentit utrinque ſuas creſcentes Anglia clades,
Exilio infelix quę fuit, orba nece eſt.
Nos miſeri neſcimus opes, animumque benignum;
In Patriâ Virtus & Tua vita perit.
Sic fluctu Nilus diſtantes conſerit agros,
Dum caput in Patriâ celat, & abdit opes.
Cæſareum Juvenem ferit inclementia Divûm,
Et mala præteritis vult graviora pati.
Non aliter tuto, ſecuram, à littore cogit
Emerſamque rapit ſævior aura ratem.
Servitium mortemque *Ducis* præſentia tollit
At miſer in gremium tranſtulit iſta ſuum.
Sic Sol exhalat Nebulas, dum ſpargit: Et vnâ
Luce fugat Nubes, & facit ipſe ſibi.

Guil. Trumball LL. Bac.
Coll. *Omn. Anim.* Soc.

O Terræ & Pelagi nimium defuncte periclis;
Cui misero, miserum non licet esse diu:
Debuit hoc saltem Tibi non Fortuna negâsse,
Vt posses ipsa, cum sit iniqua, Frui.
Sed, lassis fatis, Patriis requiescis in agris,
Heu! nimium Requies illa Quietis habet.
Vsque adeò quod, parca fui, peregrina Sepulcrum
Terra negat, Domino prodiga, nostra dedit.
Dum Te blanda nimis, gremio fovet improba Syren
Dum Te visceribus, sic amat illa, capit.
Et Rediens moreris, docuit Natura, solutis
Corpora principiis, sic redeundo mori.
At cœli & cœlorum Animæ securiùs errant,
Ah! piget, & poteras Tutior esse foràs.
Forsan &, errantem quia, Mors, indocta ferire es,
Figitur hic telis obvia meta tuis.
Ergo Suum rapuisse decebat fata? nec ulla,
Quam modò quæ nasci, mox daret hora mori?
Rarus nempe diu Generosus sanguis, avaræ,
Addiderat stimulos in sua damna, Feræ.
Credimus an potius conspectam Gorgona? Habebat
Namque tuum, Gorgon, Anglia nostra Caput;

An-

In obit. Ducis Gloceſt.

Anguibus hoc olim ſeptum & ſerpentibus; Inde
(Nam vidiſſe ſat eſt) diriguiſſe putem.
Sed mortis deflere modos, in Morte, doloris
Culpa eſt, hæc luctûs otia fata negant.
Ille ſemel (placuit Diis ſolùm oſtendere) viſus
Nobis, inque oculis nil niſi gutta manet.
Sic quicunq; tuum lætus, Sol, lumine lumen
Hauſerit, Hic lachrymas præmia ſola refert.

Hen. Bold. A. M.
ex *Æde Chriſti.*

INdue *pullatas*; Academia *territa* veſtes,
Nigrior obſignet carbo, notetque diem:
Scilicet *hoc* propter *Rediviva Britannia*? — mœrens
Muſa mihi *alterno* ſtatque, caditque pede.
Aggreditur — ſed gutta frequens totum abluit auſum,
Vltra poſſe tuum eſt *ſcribere*, Muſa, *gemi*.

Rob. Whitehall, M. B.
Coll. *Mert.* Soc.

VAde Liber Triſtis, qui cum tractabere, Lector
Palleſcet Charta non minus ipſe tua.
Qua ſuſpirato nuper gratantia Regi,
Signabant faciles Æra animata modos,
Diffugiunt, & preſſa novi ſub pondere luctus,
Detrectant Preli (turba rebellis) omnes.
Aſpice Funereos Lachryma ut bibat atra colores,
Et pompa fiat pars dolor ipſe ſua.
Mitte ſupervacuas in tanta Epicedia *Muſas,*
Illa ſatis nobis, mœſta litura dabit.

LEON. LICHFIELD.
Typographus Academiæ.

X5961H